



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando pluit. Exerc. 45.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

Quando pluit.

Exercitium 45.

*Psalm. 146. Qui operit cœlum nubibus,
& parat terræ pluuiam.*

*Psalm. 103. Rigans montes de superioribus
suis: de fructu operum suorum satiabitur
terra.*

*Matth. 5. Solem suam oriri facit super
bonos, & malos: & pluit super iustos &
iniustos.*

*Psalm. 67. Pluuiam voluntariam segrega-
bis Deus hereditati tuæ.*

*Psalm. 71. Descendit sicut pluuia in vellus
& sicut stillicidia stillantia super ter-
ram.*

Consideratio.

CONsiderabimus. Quantum De-
us sollicitudinem habeat, in ter-
ra pluuijs visitanda & irriganda, vt
suo tempore fructum, ad nostram
sustentationem, proferat.

Gratiarum actio.

GRatias reddemus Deo, pro hu-
ius pluuiæ beneficio: & pro spi-
rituali, gratiæ doctrinæ, atque inspi-

rationum sanctarum, pluuia, qua animas nostras irrigans, virtutum & bonorum fructus eas progerminare facit.

Confusio.

ERubescemus: considerantes siccitatem & sterilitatem nostram in bonis operibus; non quia Deus pluuiam suam à nobis subtrahat: sed quia tanquam terra maledicta, carduos & spinas proferimus.

Petitio.

Petemus à Deo cœlestem suam pluuiam, vtque tâquam bonus Agricola, terram animarum nostrarum, à spinis & carduis emundet, atque ab illis omnem malitiam desideriorum temporalium, & appetitionum sensualium auferat, easque in virtutum stirpibus proferendis, fertiles reddat.

Oblatio.

Offeremus Deo animas nostras, quæ sunt coram illo, sicut terra sine aqua: agnoscemusque omne bonum illarum ab ipso proficisci debere: à quo veluti è spirituali cœlo plu-

pluuiæ descendunt, animabus fertilitatem conferentes.

Quando tempestas excitatur.

Exercit. 46.

Psal. 148. Spiritus procellarum faciunt verbum Domini.

Iere. 30. Ecce turbo, Domini furor egrediens.

Psal. 68. Non me demergat tempestas aqua.

Luc. 8. Increpauit Iesus ventum & tempestatem aqua, & cessauit, & facta est tranquillitas magna.

Consideratio.

CONsiderabimus, horrendum illam tempestatem, & omnium elementorum alterationem, quæ diem iudicij antecessura est: per quam Deus, significabit: quam seuerum & terribile futurum sit iudicium, quod paulò post exerciturus erit.

Gratiarum actio.

GRatias agemus Deo, quod nos hac tempestate tanto ante tempore præmoneat: nobis que memoriã tremendæ illius diei refricet: ne nos imparatos inueniat.

Gratias etiam referemus ei: pro illa